

# DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

INVESTIGANDIS

# HOMINUM MORBIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS  
ET DIRECTORIS, SPECTABILIS AC PERILLUSTRIS DOMINI  
DECANI, NEC NON CLARISSIMORUM DD. PROFESSORUM,  
PRO GRADU MEDICINAE DOCTORIS RITE OBTINENDO IN  
ALMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE HUNGARICA  
PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

**JOSEPHUS AUERBACH,**

HUNGARUS PESTHIENSIS.

---

In Theses adnexas disputabitur in Palatio maiori,  
die Mensis Augusti 1834.

---

**PESTINI,**  
TYPIS LANDERERIANIS.

**SPECTABILI**

**A C**

**PERILLUSTRI DOMINO**

**MARTINO A SZUHÁNY**

**MEDICINAE DOCTORI, INCLYTI COMITATUS NEOGRADIENSIS  
TABULAE JUDICIARIAE ASSESSORI etc.**


**VIRO SCIENTIA ET HUMANITATE  
EXCELLENTISSIMO**

**TENUES HAS PAGELLAS**

**OMNI CUM CULTA AC VENERATIONE  
DEVOVIT**

**A U C T O R .**

**Citius namque verba, conatusque scribendi defutura sunt, quam ut omnia exacte, secundum omnes circumstantias exprimere valeam.**



**G. Horatius Tom. II. Libr. II. Observat. XI.V.**

## De Morborum Investigatione.

### §. 1.

**I**nvestigare morbum idem significat ac inquirere in omnia ea momenta, quae ad genesim ejus, statumque praegressum et praesentem immediate vel mediate spectant. — Finis proximus investigationis hujus est *Diagnosis morborum*. — Ut vero *Diagnosis exacta* atque completa sit, requiritur morbi cujuslibet obvii cognoscere speciem cum omnibus ejus attributis, indole scilicet, forma, magnitudine, modificatione, stadio, simplicitate, ac demum complicatione.

### §. 2.

Ad talem *Diagnosim* requiritur ut 1.) *Symptomata Morb.* 2.) *Dispositio*, totaque aegri individui *Constitutio corporis et animi* 3.) *Momenta causae*, occasionalia sive excitantia tandem 4.) *Effectus Therapiae* jam adhibitae, regiminis, dietae et aliarum quae durante morbo in aegrum casu vel necessitate egerunt, potentiarum sedule eruantur, et tum seorsim tum mutuo inter se nexu pensitentur. — Haec quatuor momenta, sistunt praecipua *Examinis Aegrorum* ardua non minus ac momentosissima objecta.

### §. 3.

*Examen Aegrorum* vi vocis est interrogatio et exploratio aegrotantis circa ea, quae in relatione quadam ad morbum ejus mediata vel immediata haerent. Sed sensu multo latiore summi, et non solum ad momenta quatuor (§ 2.) memorata, verum ad alios etiam homines, ex quibus necessaria quaerantur extendi consuevit.

### §. 4.

*Dignitas Examinis aegrorum* maxima imo et *Necessitas absoluta* ex eo patet, quod morborum *diagnosi*, in quam plenam comparandam proxime tendit, deficiente aut manca, deficient aut vacillant, *prognosis* et *basis*

methodus medendi; unde aegrorum salutem, medentis vero conscientiam et famam periclitari manifestissimum est. — Ut autem examen istud suo respondeat fini, Medicus praeter scientias necessarias, Certas proprietates ac vires, tum corporis tum animae possidere debet, certumque in examinando Modum sequi.

### §. 5.

Ad proprietates atque vires requisitas spectant: felix totius quidem corporis fabricae et compagis, praecipue vero organorum sensuum omnium integritas, horum acies, usus; plena animae attentio; facultas prompte et consentaneae, cum re ipsa intuendi et vere observandi; memoria tenax, reminiscentia facilis, phantasia alacris et vivida; intellectus perspicax; ratio acuta; animus veri bonique sensu imbutus; prudentia.

### §. 6.

Modus examinandi tam a) aegros quam b) objecta investiganda concernit.

a) Modus gerendi se erga aegros (Gallis savoir faire) normam designat quam Medicus examinans generatim sequatur in sciscitatione et exploratione aegrotantium, ut hos in respondendis ad interrogata, et referendis omnibus momentis scitu necessariis, candidos et veros reddat.

Quem in finem aegrorum confidentia praee omnibus opus habet. Hanc a plerisque sibi comparabit aegrotis habitu externo grato, virili; vultu sereno, libero; sermone blando mansueto; continua attentione in eorum relationes; animo benevolo et ad opem ferendam parato; patientia; more gerendi decente, honesto humano, legibus moralitatis conformi qualis medico convenit digno, ut generis humani benefactor aestimetur. — Caeterum multifariae hominum aegrotorum differentiae quas aetas, sexus, educatio, cultura mentis ac animi, temperamentum, character moralis, circumstantiae aliae domesticae et politicae faciunt, nec non morborum rationes totidem modificationes erga aegros singulos moris gerendi sibi appetunt. Hae autem addisci nequeunt, sed ope cognitionis Antropologicae et Psychologicae ab ipso medico practico debent inveniri —

Interim quantum tenuitati virium mearum competit, et diversa medicorum practitorum experientia, principia stabilita proponere haud superflua esse hujus loci censeo. Eorumque mentionem brevem hic addere juvabit quae medicus observet sub examine aegrorum infantum, sexus sequioris, vesanorum, quaeve soporosis atque conscientia orbatis maxime conveniunt.

### §. 7.

Examen aegrorum infantum loqui adhuc nesciorum, ad signa magis objectiva restringitur, quae ex conformatione corporis, partiumque singularum, habitu externo, respiratione, pulsu, lingua, se- et excretionibus, somno vigiliisque depromenda erunt, haec tamen minus sufficientia esse solent, hinc reliquam examinis partem, cum parentibus, nutricibus, aliisque curam eorum gerentibus absolvere oportet. — Infantes aetatis jam provectoris dum examinantur magnam sibi reposcunt patientiam medici, vultum praeterea hilarem, sermonem blandum, denique colloquia intellectui et animo eorum ac educationi adaequata.

### §. 8.

Sub examine aegrorum Sexus foeminei plurima inveniet medicus obstacula, praecipuis vero pudicitia eas retinet quin medico qua viro necessaria comunicent cuncta, nisi hic singularem sibi confidentiam conciliare sciat mansuetudine, urbanitate, habitu externo decente. Caeterum mos gerendi totumque examen determinatur per foeminarum vitae periodum, statum coelibem, maritatum viduum, graviditatem, partum, puerperium, temperamentum, aeducationis rationem, mentis animique culturam, vitae genus, et alia. Sub examine foeminarum denique adhuc illud notandum venit, ut narrationes earum, summa cum patientia exaudiat medicus, ne qua ratione illis contradicat, vel plane impatiens evadat, (licet saepe revera multa inutilia et amplificata proferre soleant).

### §. 9.

Qui Vesanorum examini se accingit, psychologia practica, singulari humanitate artisque medendi amore fervido imbutus lenitatem ostendere debet, cum gravitate virili conjunctam. Sciscitationes necessariae, tempore re-

missionum, sub intervallo lucido suscipiendae veniunt, et tunc ad sequentia attendere debet medicus momenta:

I<sup>mo</sup> Debet attentionem suam convertere ad incessum idearum, quomodo memoria, reminiscentia et repraesentatio comparata sit, utrum conclusiones facere valeat, utrum hae erroneae vel falsae sint, et an combinationem idearum non interrumpat vel plane confundat. II<sup>do</sup> Quales sub narratione offerat expressiones, utrum non sit praesens affectus vel passio quaedam, utrum sub certis circumstantiis biographiae suae iram aut moerorem manifestat, aut utrum non idea aliqua fixa in anxietatem eum deducat, et quales facultates infirmentur III<sup>io</sup> Denique sub hoc examine medicus in ideis illius fixis penetrare quodammodo studeat oportet, et si quam confusionem manifestaret, attendere debet, utrum haec naturalis vel vero ficta sit, quod facile fieri poterit juxta praecepta cuilibet medico practico forensi nota.

#### §. 10.

Idem examinandi modus pro Soporosorum aliorumve conscientia destitutorum ad cognoscendas affectiones morbosas requiritur; praeterea phaenomenorum omnium exploratio, quae in viciniis aegrorum deprehenduntur, quo lustratio attentata et consideratio epidemicorum vel endemicorum influxuum ratio praeprecipis spectant.

#### §. 11.

b) Methodus objecta necessaria eruendi pro diversitate circumstantiarum multum quidem variare aut potest aut debet, plerisque tamen in casibus aptissima ea est, qua, dum sexus ut plurimum patet notitiis circa aetatem aegrorum, patriam, statem, vitae conditionem, valetudinem praegressam collectis, quaestiones de tempore ac modo fiunt, quibus praesens morbus manifestum coepit initium; dein permittitur aegris anamnastica morbi enarrare, qui absque ratione gravi non interrumpantur, ne quid essenziale omittant. Interea maxima attentio in aegros, eorum physiognomiam, totumque habitum externum, situm, respirationem, loquelam, referendi ac explicandi modum, propriam de morbo opinionem etc. simul in omnia, quae illos ambiunt, uti vestes, stragula

lectum, cubile, ejusque qualitates, temperaturam, aërem, suppellectilia, ect. convertitur. Nihil horum spernendum eum res ad speciem minimae in morbum eruendum et cognoscendum subinde plurimum faciant. — Ex enarratis quorum succincta nunc ab examinante, si per tempus licuerit, proferenda repetitio perutilis esse solet, et ex observatis plerumque patet, quid de statu aegrorum anamnestico et praesente adhuc scitu necessarium, adeoque nunc sciscitandum sit ac explorandum.

Quaestiones tantum essentiales fiant ne inanibus aut repetitis teratur tempus, fatigentur et vexentur aegri, examinans dubiam de scientia sua et arte medendi opinionem moveat, fiduciamque dissipet. Inhaerentibus primo symptomatibus quae aegris momentosissima habentur, aut caput quam maxime extollunt, aut revera plurimum urgent; reliqua dein omnia juxta initium, evolutionem, successione[m], magnitudinem durationem rite investiganda, organa et regiones malo detentae semper tactu aut visu, quaedam auditu exactissime exploranda sunt. Generatim in symptomatibus investigandis ordo physiologicus primum meretur locum, anatomicus ei, ne quid praeter videatur, adjungendus. —

Ut vero pateat quaenam in examine aegrorum attendenda quae proinde interroganda sint et inquirenda, in casu speciali quatuor generalia ejus objecta superius (§ 2.) jam enumerata scorsim totidem sectionibus accuratius exponere juvabit. —

## Sectio prima.

### De investigandis morborum symptomatibus.

#### §. 12.

Ad completam morborum diagnosis[m] construendam non solum praesentium symptomatum complexus sufficit, sed quae ab initio morbi et per ejus decursum praesto fuerunt signa, aequali cum industria eruantur oportet, hoc autem obtinere poterit medicus per examen aegrorum congruum paulo ante expositum. Tali ratione facile deter-



minare poterit, ad qualemnam classem morborum in systemate nosologico expositorum morbus praesens reduci possit. An nimirum morbus sit febrilis vel afebrilis, characteris inflammatorii, nervosi, putridi, gastrici etc. utrum subito vel lente aegrum invaserit, an primarius sit vel secundarius, an decursum teneat normalem vel anomalum, an typum observet continuum remittentem vel intermittentem, quonam in stadio versetur; an denique simplex vel complicatus existat.

### §. 13.

Est vero ea signorum copia et multitudo tanta ut confusio incredibilis nascatur nisi rite definiantur, et describantur, medicusque probe attenderit, quid symptomata singula significant; ut vero completa eorum perlustratio fieri possit, ordinem functionum consociatarum, nimirum:

A) **Functiones systematis vegetativi**, quibus alienationes functionum primarum viarum, organorum respirationis, circulationis, se-et excretionis, nec non nutritionis, comprehenduntur, (quo et functiones organorum genitalium spectant) et B) **Functiones Systematis animalis** quo vitae sensiferae ac irritabilis deviationes spectant, seorsim exactius indagare et attento considerare animo interest.

### §. 14.

A) **De Functionibus vitae vegetativae, ut signis.**

a) **De functionibus primarum viarum laesis.** In his collocantur vitia quantitativa et qualitativa sitis, saporis, deglutitionis et manducationis; conditio linguae quoad habitum et motus rationem, simul et cavi oris et faucium; appetitus et fames, ardor venticuli, et intestinorum, viscerumque caeterorum ad digestionem et chylicationem concurrentium; respectu sensationum motus peristaltici et antiperistaltici secretionum propriarum, digestionis, chylicationis excretionum alvinarum, sensus plenitudinis, ponderis, tensionis, doloris acuti, contractionis, ructibus, dispepsia, nausea, vomituritione, vomitu, diarrhoea; lienteria, ictero, flatulentia, alvo segni obstipa: ect. ect.

se se produnt; quam passim etiam tactu musculis relaxatis, pulsatione, situ varie mutato intuitu et auditu explorare consuetum esse solet.

### §. 15.

b) De respiratione ut signo Altera functionum vitae vegetativae pars respiratio est, quae si a recto tramite aberrat, diversa manifestat signa, quorum investigatio sequentibus absolvitur. Ratione temporis, utrum velox vel celeris, ratione quietis utrum frequens vel crebra; ratione spatii utrum magna vel parva; ratione virium utrum fortis vel debilis, plena, profunda, alta, vel sublimis; ratione sensus utrum facilis vel difficilis, anxia vel anhelosa; ratione modi utrum aequalis vel inaequalis; denique habita ratione aeris perspirabilis, halitus, utrum sit calidus, frigidus aut plane foetidus. — Ad symptomata respirationis organorum pertinent porro tussis multiplex et sputa quae ratione quantitatis, consistentiae, coloris, figurae, odoris, saporis, gravitatis contentorum considerata veniunt; tandem sternuntatio, singultus, oscitationes; vocis et loquellae modificationes huc spectant. Denique exploratione externa ad modum Auenbruggeri, et stetoscopo Laennecii in morbis praeprimis in organis respirationis sedem praecipuam ligentibus, non parum contribuunt ad morbi cognitionem completam sibi comparandam.

### §. 16.

c) De pulsu ut signo. Pulsus arteriarum omnino magnam meretur attentionem, et ad diagnosim ac cognitionem morborum et ad indolem horum ac vim vitalem aestimandam multifaria largitur symptomata. Notandum tamen venit varias esse circumstantias, quae saepe et in aegro ipso pulsuum modificationes diversas producant, partim vero per causas externas similes modificationes induci possunt. Tali ratione modificatur pulsus per aetatem, sexum, temperamentum, somnum, animi et corporis commotiones, per tussim, per assumpta stimulantia varii generis, quae omnia mutationes corpori proprias, et pulsuum alienationes sufflaminant. Ad causas alias extra organismum degentes et circulationis modificationes inducere valentes spectant: clima, anni tempus, calor, frigus ect:

## §. 17.

d) De se-et excretionibus ut signis. Apparatum se-cernentium et evacuantium functiones ratione virium, modi, ac temporis spectamus; illarum simul quantitatem, quali-tatem, et relationem inter se variam, ac ad morbum prae-sentem reducimus; huc spectant: transpiratio cutanea uni-versalis, aut partialis, simulque adnotamus mutationes in cute contingentes, an sudor contingat cum levamine, vel cum morbi incremento, an cutis sit mollis, dura, pallida, rubra, flava, livida, morbis cutaneis diversis: ulceribus, vulneribus, tumoribus arteriarum, venarum, vasorum lym-phaticorum, glandularum vel nervorum cutaneorum defoe-data: an animadvertantur herniae vel prolapsus. — Ad ma-terias se-et excretas per morbum mutatas spectant porro sa-liva, mucus, humores digestorum, excreta alvi et urinae, sputorum, puris, materierum vomitu ejectarum, sanguinis tum recenter evacuati tum vase loco eongruis ac tempore debito adservati, imo pseudomembranarum calculorum ver-mium ect. ect. praesentia.

## §. 18.

e) De nutritione ut signo. Statum nutritionis abnor-mem quoad gradum, extensionem, modum, aequalitatem constantiam, in specie torositatem veram, hipertrophiam polisartiam, atrophiam, paratrophiam, partium degeneratio-nes novarum et inconcinuarum formationem vel volumen, oedemate, hydrope, emphysemate, vario tumorem excres-centiarum genere auctum, reproductionis metamorphosim progredientem aut regredientem, mutabilitatem in genere, factamque speciatim morbo praesente mutationem.

## §. 19.

f) In functionum sexualium examine pro re nata cum genitalium exploratione jungendo, alia quaedam in mari-bus, alia in foeminis respicere opus est; sed quoniam in morbis pluribus organismi genitalia indifferentia sunt, pro-pterea conditionem illorum in omni aegro examinare su-perfluum est, tantum suspicione exorta de morbi sede in ge-nitalibus, et tunc in sexu masculino exquirimus quando coeperint genitalia functiones suas exerere quo anno aeta-tis, et sub quibus phaenomenis pubertas evoluta sit, au

non adsit adfectio membri virilitatis, praeputii, urethrae, prostatae, scroti, testiculorum, funiculi spermatici, a syphilitico aut alio fonte orta; an non praecesserint pollutiones, libido in venerem nimia vel deficiens. Saepe ex narratione sola aegri diagnosim construere non valemus, sed ivsum et tactum in auxilium vocare debemus, ut definiamus, an magnitudo et fabrica partium genitalium sint in statu normali. — In examinandis functionibus genitalium foemineorum pudicitiae justam rationem habemus, et saepe ipsa narratio candida aegrotae sufficit ad conditionem genitalium cum probabilitate magna definiendam: non raro tamen ad diagnosim plenam construendam necessaria est exploratio per obstetricem, aut per medicum obstetricatorem debite instituenda. Rescimus nempe, quandonam fluxus catamenialis prima vice comparuerit, sub quibus phaenomenis, quando reversus sit, an regulariter quoad aetatem, intervalla, symptomata, quae praecesserunt concomitantia insequentia, quantum fieri potest, rescire conamur; quantitatem et indolem sanguinis, modum fluxus ipsius, constantiam, regularitatem, suppressionem aut emersionem cum causis (sub omni contra fallaciam circumspectione,) et effectibus prudenter eruendum. — In muliere gravida examinamus quae phaenomena post conceptionem subsequuta sint, quomodo tumor abdominis successive increverit, quando prima vice motus foetus perceptus sit, an adsint signa graviditatis normalis, uterinae, vel extra uterinae; attendimus etiam ad signa partus imminentis, ut partum forte praematurum praevertere valeamus, et sub ipso partu attentio necessaria est, an sit facilis, difficilis et ex investigatione facta causam impedimenti eruere conamur, ut per remedia congrue adhibita eam removere valeamus. In puerpera aegrotata quaerimus, an post partum contractio abdominis ac uteri debite contigerit, an lochia quantitate et qualitate normalia sint, an mammae lac rite secernant, an tumores lactei inflammatorii vel ulcera plane puerperam affligant. — In vetulis denique defectum mensium subitaneum vel successivum, tempus ab eorum silentio insecuta gravamina et morbos sive uterum aut ovaria aut mammas sive reliquum organismum amplectentes attente considerare oportet.

## §. 20.

*B) De functionibus vitae animalis ut signis.**a) De conditionibus sensuum externorum ut signis. —*

Inter hos attentionem nostram provocat coenaesthesia cujus ope aeger informatur de statu bonae aut malae valetudinis. Sensationes quas nobis hic suggerit sunt tantum subjectivae ideo cautela requiritur magna, ne ex relatione aegri diagnosim construamus erroneam, nam sensus communis in uno eodemque homine tempore diverso variat, estque subinde obtusus exaltatus, aut plane perversus. Inquirendum porro venit in conditionem reliquorum sensuum externorum, tactum gustum, olfactum, auditum et visum seorsim, quos vel nimis acutos vel obtusos vel plane vitiatos deprehendere possumus; considerandae una conditiones externae horum organonum veniunt, ex his maximam attentionem impendere debemus in organa visus, vel tantum ad morbos topicos oculorum, sed quia ex visu illustratur et indoles aliorum morborum, habitus oculorum totiusque faciei (physiognomia) multifariam tum corporis tum animae adfectiones motibus suis exprimunt, (cavendum tamen a sensationum circa vires vitales fallacia frequente).

## §. 21.

*b) De conditionibus sensuum internorum ut signis. —*

In statum animae inquirentes quoad actiones vel individuali sanitati conformiter persistentes, vel vero nimis acutas aut depressas et fere extinctas aut plane alienatas deprehendimus. Inquirendum itaque specialius in statum animae, conscientiae vigentis, vacillantis, deficientis, turbatae imaginationis ac phantasiae, intellectus, rationis, singularum vel omnium, ultra modum et aequam inter se atque ad sentiendi ac volendi facultates rationem exaltatarum, aut languentium nimis; in animi dispositionem adfectus, pathemata, exaltationem, depressionem atque stuporem, alienationem, in voluntatis exardescentiam, praedominium, imbecillitatem, defectum, perturbationem in cogitando, loquendo, motus voluntarios instituendo, actus exereundo, hinc pariter in situm incessum gestum, idearum in sermocinando consociationem cum rebus concordantiam aut nullam, conditionem cranii, et columnae vertebralis; denique in vigiliarum ac somni rationes.

## §. 22

c) De motu musculari ut signo. — Ad functiones vitae animalis pertinet et motus muscularis, imprimis motus voluntarius, qui determinatur per influxum systematis nervosi ideo rescimus an motus voluntarii perficiantur cum alacritate, cum sensu grato vel cum difficultate, dolore, cum sensu defatigationis ingrato: subinde producitur paralysis, non raro motus musculorum subsequuntur contra voluntatem, dicuntur spasmi, jam tonici, jam clonici, jam partiales, jam universales, non raro observantur etiam tremores, tendinum subsultus. Ita examen semioticum rite institutum nos ducit ad statum abnormem praesentem in organismo definiendum, cognitio tamen haec imperfecta erit nisi causae etiam status morborum erutae fuerint, ideo necessarium est et examen aetiologicum.

## Sectio secunda.

De eruenda aegrorum dispositione in morbos.

## §. 23.

Aegros omni ex parte exacte nosse plurimum interest, nam variis individuis varia inest ad morbos dispositio. Pro invenienda aegrorum singulorum in morbos dispositione in propriam illius Constitutionem Corporis, Facultates animae, harumque culturam, animi Propensiones Affectus, et Pathemata, Consuetudines, Idiosyncrasias, Aetatem, Sexum inquirendum est. Huc Dispositio haereditaria et connata, Morbi praegressi, Vitae Conditio, Negotia, Relationes publicae ac Res Domesticae Patria et Domicilium, tandem Religio spectant.

## §. 24.

Constitutio Individualis cognoscitur considerando volumen, figuram conformationem totius corporis ac singulorum systematum, quae cuncta habitus externi nomine veniunt, distinguimusque constitutionem hominis robustam aut debilem, crassam aut teneram, densam aut laxam. Experientia compertum habetur homines robustae

constitutionis et vigentis potentiis adversis fortius repugnare, individualitatemque suam duitius conservare morbis igitur parum obnoxios esse; (talis se enunciat per habitum torosum, ossa ac musculos magis evolutos, coloremque rubicundum) dum vero ex frequente diaetae regiminisque errore nimiaque in vires confidentia morbos sibi procurant, iis plerumque gravissimis acutis inflammatoriis laborare. Homines constitutionis debilis et tenerae influxibus potentiarum nocentium facilius pati, viribusque suis cito exui, morbis igitur saepe affligi gravibus, tum acutis tum lentis, indolem adynamicam, cachecticam, nervosam facile assumentibus, (Constitutionem debilem annunciant fabrica corporis tenerior, ossa graciliora cutis mollior ac pallidior). Caeterum exceptiones ab hac regula saepius observare licet, ideo constitutio nonnisi per observationes diutius continuatis distingui potest. Praeter hanc differentiam magni momenti est illa quae desumitur ab evolutione eminentiori partium diversarum organismi, ita ut distinguatur constitutio individualis ex lymphae abundantia humoribusque serosis Lymphatica dicta, a sanguinis venosi abundantia Constitutio venosa. Ob arteriarum vigorem sanguisque oxygenio et parte fibrosa excellentiam vel et veram abundantiam Constitutio arteriosa. Tandem a nervorum in organismo principatu Constitutionem nervosam distingui solent, et prout nervi gangliosi vel spinales vel cerebrales praevalere observantur Constitutio nervosa gangliosa, nervosa spinalis, vel nervosa cerebralis nominari solet. — Quum autem constitutiones nunc lustratae ad temperamentorum elementa referri merito possint plura momenta in hanc disponentia cum iis conveniunt. Caeterum peculiares quaedam constitutiones insuper attentione dignissimae, quae teste experientia magnam in certos morbos proclivitatem secumferunt, titulis habitus scrophulosi, rhachitici, phthisici, apoplectici, arthritici practicis notissimae sunt.

### §. 25.

Vita animae quoad vires mentis, animi ac voluntatis semina variorum morborum et corporis et animae fovet. Homines mentem nimium intendentes ex laescente animi

et voluntatis harmonia, ex intelligentiae et rationis vi tandem labente, defectu somni reficientis, quiete corporis nimia, sessione protracta, nec non varia studiorum indole in vesaniae species feruntur cum fatuitatis et amentiae forma, in sensuum externorum languorem, hallucinationes, congestiones sanguinis ad cerebrum, encephalidem, digestionis, chylificationis, sanguificationis, excretionum, alvi praesertim turbas, haemorrhoides, hypochondriam, arthritidem, maciem tabem. Circa animum s. facultatem sentiendi probe investigandum, an justo magis aut minus mobilis sit, affectibus excitantibus aut deprimentibus, et quibus speciatim obnoxius, quibus fors pathematibus vexatus; an nimirum cultus intelligentiam et rationem aequae ac voluntatem superet. Ex quibus dispositionem in morbos corporis et animae varios emanare nemini notissimum non est. Voluntas rationis imperio destituta vehementer activa libidines et cupiditates sistit animae conporique multum noxias. Quare expiscandum, num aegri effraenato amore aut odio quodam arrogantia igitur, voluptate, avaritia, zelotypia, aut invidia, malevolentia, repugnantia, iracundia ect. ferantur, largis tum dispositionis tum ipsorum morborumfontibus.

### §. 26.

Ad causas praedisponentes refertur etiam **Temperamentum** sub quo modum proprium intelligimus, quo functiones organismi vivi et somatice et psychice exercentur. Cum modus hic singulo homini proprius sit, ideo tot sunt temperamenta quot homines, propterea nulla classificatio temperamentorum perfecta existit; sed retinetur a plurimis antiqua a Galeno stabilita: 1-o Temperamentum colericum seu vehemens, quod summa vitae alacritate, magna stimulos recipiendi facilitate et actionis energia excellens dispositionem continet in morbos acutos, inflammatorios magna cum vehementia et mutabilitate minore decurrentes. 2-do. Temperamentum phlegmaticum seu debile in recipiendis incitamentis difficile, in agendo tardum atque debile, paucam gerit in morbos proclivitatem languore insignitos et tarde decurrentes. 3-io. Temperamentum sanguineum seu volatile magna in stimulos receptivitate et alacri ast debili reagendi facultate donatum, in morbos plurimum disponit



acutos cum charactero inflammationis ac erethismo, decursu celeri, quoad indolem et formam mutabili. 4-o. Temperamentum melancholicum seu constans minus disponit in morbos, eosque, ubi noxis succumbit graves periculosos, diuturnos potius quam acutos in visceribus abdominis sedem potissimum figentes. — Quodvis autem horum Temperamentorum latius patet, saepe non purum adest, sed cum altero conjunctum. Explorare itaque debet examinans ad cujus temperamenti normam indoles singulorum aegrorum plurimum accedat.

### §. 27.

Consuetudinum notitiam sibi compareat medicus oportet, quia vitae per illas mutatae tenor servatur, nec impune mutatur; consuetudine enim res feruntur, quae alias morbos producerent; illa vero inveterata, nunc derelicta oportunitati vel et ipsis morbis praebetur occasio. — Hujus loci et *Idiosyncrasi* investiganda venit cum proclivitatem quamdam in morbos, a rebus, comuniter minime nocivis secum ferat. Sunt v. g. qui felem videntes anxietate summa corripiuntur, qui cruoris aspectu animi deliquium, qui cancris, piscibus comestis urticariam, ingesto melle aut acido quodam cardialgiam vomitum vel tormina et diarrhoeam patiuntur et s: p:

### §. 28.

Aetatis aegrorum ratio habenda quia quaelibet aliam atque aliam in morbos dispositionem secum fert. Aetas prima infantilis et puerilis ob fabricam teneriorem, mollietiam partium omnium, sensibilitatem ac irritabilitatem majorem facillime morbis corripitur et quidem organorum digestionis chylicationis et cutis, ut sunt vomitus, diarrhoea, alvi obstipatio, acidum primarum viarum, aphtae, status pitiutosus, helminthiasis, dispepsia, scrophulae, rhachitis, tabes, debilitas vitae, dolores, spasmi clonici, febres, hydrorrhachia; intertrigo, crusta lactea, morbilli; scarlatina, tinea capitis et faciei, variolae; inflammationes imprimis meningitis, tracheitis acuta, epistaxis, tussis, pertussis ect. Iuventutis et adolescentiae periodum pubertatis introitu insignem intensiore vita vegetativa, sanguini uberiore fortiusque moto, et praecipue in pulmones

acto et iustinctu sexuali evigilante invitantur haemorrhagiae pulmonum, uteri, narium. febres, inflammationes faucium, pulmonum, cordis, et morbi organorum genitalium quae variam iterum in morbos dispositionem adducere solent. Aetas matura virilis finito corporis incremento, praesente virium functionumque aequilibrio, vigore ac constantia majore in morbos parum disposita est; qui occurrunt morbi proprii pauci in abdomine sedem figunt, uti sunt infarctus, haemorrhoides, menstruorum anomaliae, hypochondriasis, hysteria, arthritis, vomitus cruentus aliaque sanguinis profluvia. — Aetate senili successive imminuitur energia vitae, liquida evadunt spissiora, solida rigidiora et sicciora, vasa multa obliterantur, secretio adipis aliorum liquidorum et succi nutritii semper paucior redditur, hinc rigidi evadunt articuli, ossa fragilia, ossificantur cartilagineae, membranae, resolvuntur muscoli, obtunduntur nervi, sensus externi et interni hebescent, quibus accedunt tremores, incontinentiae, paralyses, sopor, apoplexia, lithiasis, tusses pituitosae, dyspnoeae, hydropes, scirrhi, carcinomata, sensuum singulorum defectus, gangraenae tabis tandem species, quae marasmus senilis audit.

### §. 29.

Ad causas disponentes pertinet et **Sexus**. In genere sexus virilis motuum vitalium vim et constantiam majorem, et materiam organicam ad altiore naturae animalis gradum elaboratam offert, estque magis pronus in morbos energicos, ad arthritides, haemorrhoides, lithiasim, apoplexiam, hypochondriasim, et morbis propriarum partium genitalium. In sexu foemineo contraria fere constitutio, magna in morbos qui cito multumque mutari solent facilitas observatur, uti sunt humorum orgasmus, inflammationes, sanguinis profluvia, pituita, chlorosis scirrhus, hydrops, aliaeque cachexiae, spasmi dolores et hyperchinesia hysterica Ratione organorum genitalium constat tempus pubertatis quamlibet fere menstruorum periodum, graviditatem, partum, puerperium lactationem annos tandem climactericos, tum dispositione, tum occasione multis viam sternere morbis.

## §. 30.

Dispositionem haereditariam et connatam in ipsos morbos dari experientia evictum est. Ideo in omni aegro conamur rescire conditionem sanitatis parentum, historiam graviditatis, an fuerint statim observata post nativitatem vitia aliqua conformationis quae dispositionem haereditariam aut connatam indicant. Etiam morbi perpassi historia notatu dignissima esse solet in eruenda ad morbos dispositione quoniam morbi superati morbosam in eundem vel alium morbum probaliter eventurum causas originem, primariam vel secundariam indolem, formam et sedem vires naturae medicatrices modosque crisis terminationes et sequelas indigitare valet. — Vitae conditio et negotia varia probe consideranda veniunt, ad quae suscipienda cogitur per vitae genus dispositionesque inducuntur diversae. Sic v. gr. homines in fodinis aëri mephitico, vaporibus minerarum ac metallorum, fossores plumbi; inauratores vaporibus mercurii; statuarii pulveribus lapideis; molitores pistores pollini; fabri ferrarii, serrarii et qui fundendis metallis, conficiendis vitris occupantur aestui ingenti exponuntur; sic rustici tempestatis injuriis, laboribus duris praesertim messis tempore exantlatis, frigore sudanti corpore admissio, victus vitiis, spirituosorum abusu spurcitiae nimio, tuguriorum calore in affectiones catarrhicas, rheumaticas gastricas, febres inflammatorias, tum cachexias; bajuli in hernias, sartores, textores, aliique officiales, litterati vitae sedentariae adstricti ex natium viscerumque abdominis et thoracis pressione continua in abdominis ac pectoris morbos tubicines histriones, cantatores, correctores, ludi magistri in morbos faucium laryngis et tracheae, pulmonum disponunt, medici ex cubiliis aegrorum mephitide, contagiis, frequenti quietis nocturnae interpellatione, propriae aegritudinis cura circumstantiis urgentibus procrastinata interrupta, tot tantisque animi adfectibus in multos variosque morbos aguntur etc. etc.

## §. 31.

Etiam relationes publicae et res domesticae investigandae veniunt, ut dispositiones inde pendentibus suam inveniant explicationem, hanc viam sequentes attentendum.

num aegri officio publico et quibus cum labore, honore commodis et gravaminibus juncto, fungantur; num inter divites vel pauperes referendi sint; num vitam activam vel otiosam, tranquillam hiliarem, contentam vel inquietam, tristem curis, moerore, v. gr. de rerum domesticarum angustia infelici matrimonio etc. turbatam, num simplicem et naturae ac rationis legibus conformem vel inordinatam potius ducere vitam consueverint.

### §. 32.

Patria aegrorum et locus domicilii climate suo, i. e. caeli tellurisque propria indole imprimis quoad calorem et frigus, siccitatem et humiditatem, ventos, anni tempora, et tempestates modumque in illis et constantiam aut variabilitatem spectata, aliisque potentiis endemicis, praecipue moribus patriis comuni negotiorum genere, quaestum faciendi atque vivendi, cogitandi, sentiendi, agendique ratione peculiare, tam corporis animaeque dispositiones, quam morbos inferre observantur. — Eadem plane aegrorum cum domicilii et habitationis loco est ratio, nam pagis aedibusque singulis ad lacus, stagna, paludes positas, non minus quam cubiculis obscuris humidis aut plane subterraneis, febres intermittentes, hydropes, scorbutus aliaeque cachexiae; habitaculis contra ventorum potentiam et injurias tempestatis parum munitis, rheumatismus, catarrhi, dolores variaque symptomata nervosa et endemica deprehenduntur. — Religio tandem aegrorum attendenda quae praescribit regulas diversas pro actionibus hominum, v. g. circa jejunia protracta, restringenda osculentorum genera etc. etc. quae nonnullis individuis male conducunt, huc spectant etiam mutationes magnae vel revolutiones politicae per quas multi in morbos graves conjiciuntur; ac demum certae morborum formae inter religionis cujusdam cultores frequentius occurrentes.

---

## S e c t i o t e r t i a .

### De eruendis morborum causis excitantibus.

#### §. 33.

Momenta causae excitantia saepe ab aegris, cognatis aliis nominantur; saepe ex memorata in dispositionem aegrorum investigatione, vel ex relatione symptomatum morbi praegressorum et aestimatione praesentium, vel ex potentiarum quae morbum interea mutarunt, consideratione aperte prodeunt; non raro his ipsis sicut rebus aegrum ambientibus anni tempore ac tempestate, genio morborum epidemico et stationario saltem indigitantur. His in casibus et vel maxime ubi nequidem probabiliter indigitantur noxae, et ubi denominatis non congruunt morbi, examinans ipse eruat illas necesse est. — Quod ut cum successu et absque aegrorum taedio temporisque jactura praestet, non momenta morbifica solum generatim perfecte noscat oportet, sed certum quoque in ordinem disposita memoriae impressa teneat. Triplex hujus ordinis principium practicum exhibent 1. o) Origo noxarum absolute aut relative externa et interna, i. e. ab organismo ipso derivanda. 2. o) Organa, in quibus actione sua nunc immediata nunc mediata sympathica consensuali et antagonistica morbos producere valent, et 3. o) Modi quibus vires morbificas exerunt.

#### §. 34.

1. o) Quoad originem. Ad momenta causae externa spectant: astra, sol imprimis, lux, aer, calor, electricitas, varia aeris atmosphaerici sicut cubiculorum contenta, vapores et effluvia; mineralia, vegetabilia, animalia; miasmata, contagia, venti, anni tempora clima; constitutio epidemica, stationaria intercurrentes: noxae endemicae; cibi, potus, medicamina, venena; variae potentiae in sensuum organa specialius agentes, aliae quaecunque mechanicae et chemicae, vestimenta; habitaculum etc. — ad interna organorum sensuum externorum, facultatum animae cogitandi videlicet, sentiendi ac volendi, exercitatio universalis par-

tialis nimia, neglecta, incongrua animi adfectus et pathemata; libidines et cupiditates, somnus et vigiliae motus et quies; instinctus imo morbi ipsi tum animae tum corporis cum effectibus et productis v. gr. calculis, vermibus, tumoribus, excrescentiis; excernendorum uti foecum, lotii, ichoris etc. retentiones etc.

### §. 35.

2-o.) Quoad organa. Externorum momentorum quaedam, penes actionem in universam corporis superficiem vel et in cutis propagines introrsum vergentes, specialius unum alterumve organon sensuum adficiunt, quemadmodum sol, lux, soni, effluvia, et vapores aromatici spirituosi, putridi etc. quaedam canales respiratorios uti: aer, variaque in eo contenta heterogenea, mephitica vapores aquosi alii-que, fumus, pulveres; alia adparatum deglutitionis, digestionis, reliquum primarum viarum tractum, uti cibi, potus, medicamina, venena, aliaque ingesta etc. alia partes sexuales etc. imprimis feriunt. — Sic internorum etiam quaedam speciatim nocent animae, facultatum scilicet ejus singularum inaequabile, nimium, neglectum exercitium, et quoquo modo incongruum, adfectus et pathemata, sensuum exercitatio excedens, omissa, vitiosa; alia sicut nunc dicta, ac somnus, organis sensuum externorum; praeter eadem fere motus et quies instrumentis motuum voluntariorum; meditationes ac studia graviora, animi pathemata deprimentia; tristitia anxietas, terror, ira, moeror, aegritudo animi hepatis et systemati venae portarum vel maxime insidiantur.

### §. 36.

3-o.) Quoad modum. Quaedam potentiae morbificae modo praecipue mechanico, voluminis figurae, ponderis ope premendo, tendendo, contundendo, laedendo, aliae modo chemico, vi solvente, adstringente, arrodente caustica, aliae dinamico modo actiones vitales excitando, deprimendo, alterando; quaedam caeterum vires suas in corpus, aliae in animum potius exerendo noxiae fiunt.

---

## Sectio quarta.

De eruendis, quae morbos jam mutarunt  
potentiis.

### § 37.

Notiones potentiarum, quae morbo currenti secundas vel adversas induxerunt mutationes, non modo ad petitam ex caeteris auxiliis diagnosim corroborandam ubique plurimum faciunt, sed ad eam formandam quoque sumopere desiderantur, ubicumque morbi indoles, constitutio ac dispositio aegri, causae occasionales insufficienter aut non noscuntur, et erui nequeunt, quemadmodum initio curae aegrorum plerorumque mœdendi ante hac non, aut non satis notorum et taciturnorum maxime fatuorum, infantum, vesanorum; in morbis diuturnis therapiae variae pertinaciter repugnantibus; in recentibus quidem sed novis vel necdum evolutis epidemicis; imo therapiam non raro indigitant, subinde solae determinant.

### §. 38.

Nunquam itaque superfluum, in morbo non recente proficuum, in casibus vero nunc nominatis necessarium est indagare num contra illas therapia, quae, et quali cum successu instituta, num aliis potentiis ac circumstantiis etc. manifeste et quaenam morborum mutationes productae fuerint. Possunt autem juvisse vel nocuisse; instituti hucusque tractaminis ratio, curatio omnis omissa aut negligenter adhibita, aut pro arbitrio mutata diaetae regimen aut corporis aut animae non congrua, singula, plura eorum quae momentorum causae excitantium titulo superius enumerata fuerunt, e quibus constitutio epidemica tam stationaria quam intercurrentis annua, indoles endemica et momenta singulis aegris ex domicili, opificii et occupationis, vitae generis, consuetudinem etc. rationibus propria, principem sibi vindicant attentionem.

### §. 39.

Subinde expiscari interest, an quae adplicari, vel omitti, vel arceri, amoveri debuissent, non fuerint praeter-

missa. v. gr. in morbo gastrico saburrali facienda sordium debito tempore, eliminatio, solutio aut imutatio; an in inflammatorio statu necessaria sanguinis missio non aut incongrue instituta, aegro vinum forsan, potus arabicus utut alias consuetus ect. interdictus non fuerit.

§. 40.

Ut vero tam mutationes morborum quam earum causae ab aegris, cognatis, aliis denominatae rite aestimentur, attendendum ne 1-o) mutationes morbo praesenti de norma convenientes pro accessoriis habeantur, adeoque alius, ex quo perperam deriventur, fons quaeratur, atque vicissim ne morbus adsociatus complicationem efficiens pro prioris solum modificatione sumatur, et ne mutationes essentialis cum accidentalibus, subjectivae cum objectivis et vice versa confundantur; 2-do) ne emendatio morbi aut exasperatio quibusdam tribuatur influxibus, quin nexus causalis intelligi queat, et confirmari. Quare mutationes indicatae cum inculpatis. (v. gr. tractamine, cujus ordinatio, formulae medicinales ect. eruendae, perlegendae) vel laudatis causis, actionis eorum tempore, duratione, loco, ratione non minus quam cum conditione aegrorum et praeconceptis non raro opinionibus prudenter sunt pensitandae.



## L I T E R A T U R A.

---

- A. W. Smith, Entwurf eines methodisch-systemat. Kranken-Examens. Wien 1787.
- Chr. G. Gruner, physiolog. und pathologische Zeichenlehre Jena 1794.
- C. Sprengel, Handbuch der Semiotic 1801.
- J. Valent nob. ab Hildenbrand, initia institutionum clinicarum seu Prolegomena in Praxim clinicam. Wien. 1807.
- L. H. Friedländeri, etc. de instit. ad medicinam. Hallae 1823. et Fundamenta doctrinae pathologicae etc. Lips. 1828.
- S. G. Vogel. Allgemein medicinisch-diagnostische Untersuchungen zur Erweiterung und Vervollkommnung seines Kranken-Examens. Erster Theil Stendal 1824.
- Joh. Nep. nob. a Raimann, Institutiones generales ad praxim clinicam Vindobonae 1829.
- C. Ph. Hartmann, theoria morbi etc. Wien. 1828.
- Fr. Bene, Elementa med. Pract. Tom I. Prolegomena Instit med. Pestini 1833.
-

## Theses defendendae.

---

- 1-a Remedium specificum habere quodlibet organismi systema et organon jure suspicamur nam:
  - 2-a Omnes corporis animalis partes propriam vitam vivunt.
  - 3-a Non aetas sed cognitionum claritas medicum facit.
  - 4-a Narcotica sicut frigus negative stimulant.
  - 5-a Methodus expectativa in cura infantum plurimum proficit.
  - 6-a Ex omnibus scientiis, quas medicus colere debet Pharmacocatalogologia omnium flos est.
  - 7-a Cuique organismo morbi seminium innatum est, hinc.
  - 8-a Examen aegrorum arduum non minus quam momentosissimum medentis objectum sistit
  - 9-a Medicus et fit et nascitur
  - 10-a Emeticum in febris adynamicis optimum et unicum saepe remedium.
  - 11-a Quamprimum rationalis therapia in sananda amaurosi nihil proficit, empiricam medendi rationem inire oportet.
-

